Clarissime Vir

Non ex orbe Americano, quod votis sæpius ac desiderijs, sed ex Europæo, calamo Te & ore propius saluto; idq. ut gratum Tibi sit, avidè contendo. Non amplius hic inter Barbaros, non inter ferratos belli postes otia mea molestius consumo: in orbe vestro, Musas vestras audacius (dum licet) compello, sed ignotum me hactenus, pro tempora, non resalutant. Ad Te igitur, ignosce in ipso vestibulo sic audenti, plena animi fiducia accedo, mihiq. Musarum humillimo cultori in sacra earum properanti, viam ut sternas, obnixè rogo. et ex eorum numero me ostende qui religioso cultu oblatum celitus honorem non dedidici venereri. Non est quod implicitum me Theologicis curis suspicentur, has sibi reservarunt priora tempora, jam liberius, liber factus, inter liberos Batavos Te libertatis pristinæ divinum præconem testem compello.

Tu me de meliore nota recommenda. Totus ejs vaco, totum me ad earum nutum obstringo, hosq. in signum dereliciæ ac frigidæ venæ, versiculos, Illust. & Excell. Comitis Imagini, siquidem Tu aliquo saltem modo probes, subjiciendos, non gravare perlustra, meq. non minus Tui ac Dearum nominis cultorem, solo per D. Pisonem affectu resaluta.

Occiduo postquam Victor redijsset ab orbe,
   Tallem Mauritium terra Batava tulit.
Metam Lusitana novis Concordia terris
   Fixit, & ignoto notus ab orbe redit.
Famam orbi, lateq. excelsis terminat astris
   Gloriam, & in ipso Vespere stella micat.
Vive redux, veterisq. adspersus pulvere belli,
   Martia Battarico prælia pande solo.
Aut mihi si votum concedat Jupiter unum
   Fusaq. Nassovio si pia vota placent,
Tertius immenso surgat novus orbis in orbe,
   Et novus existeris Victor in orbe novo.

Scripsi Breuckelij in villa …rra. 14 Sept. 1644.

Pap. 2.

Clarissimo Nomini Tuo devotiss
Franciscus Plante.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3755

© Universiteitsbibliotheek Leiden
PAP 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3755